



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

59. An servus teneatur magis servire Domino, quam uxori? Ex p. 7. tr. 7. r.
38.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

2. Hinc inferitur, peccare grauer dominum, si omnino prohibere tenet suo seruo ne ineat matrimonium. Non tamen per hoc tenetur dominus positine consentire: sed potest semper dicere, id sibi non placere. Item peccare grauer dominum, qui conetur impedire seruum ab inuendo matrimonio: ita vt post promissionem & sponsalia, non possit amandare, vel vendere illum in aliam regionem, vbi ea sponsalia impleri non possint. Non tamen teneretur dominus, etiam ante sponsalium promissionem, deprehendens inclinationem serui nuptias molientis, illum retinere in eodem loco: sed bene possit vti iure suo, mittendi, aut vendendi illum in alium locum. Rursus peccare grauer dominum: si pena & supplicio afficiat seruum ob contractum matrimonium: quia non potest illum iuste punire ob actionem licitam, & non iniuriosam ipsi domino. Non tamen per hoc teneretur dominus, prestare adhuc seruo illa gratuita beneficia, quae alioqui illi prestare solitus, aut paratus erat: vel ita benignè tractare, sicut alioqui faceret. Et hæc omnia docet Auerſa de Sacram. Matrim. q. 3. sect. 7. & Sanchez lib. 7. disp. 21.

RESOL. LVIII.

An serui matrimonio copulati possint licite vendi?

Et an vxor serui teneatur eum sequi in longinquam regionem ablegatum? Ex parte 7. tractatu 7. Res. 37.

§.1. **R**espondeo distinguendo ex communi sententia Doctorum in cap. 1. de coning. seruorum aut seruus inuit matrimonium domini consensu, aut eo infecto, vel repugnante. Si primum, non licet vendere, quoniam damnus, & malum coniugi inferitur, vt est consensus omnium opinio. Si secundum, Nauarra sentit in Man. cap. 22. num. 34. id facere licere domino absque lethali peccato: eo quod dominus vendit seruum tanquam rem suam, cuius pretio indiget. Angelus tamen in ver. Matrimonium, impedimento 4. num. 5. Syluester verb. seruus, quest. 7. Sotus 4. d. 35. quest. 1. art. 1. negant eum Sancto Thoma in Addit. quest. 52. art. 2. ad 4. id iuris dominum habere, eo quod vxor damnus graue patitur invita. Sed vtraque opinio facile conciliari potest. Etenim si in longinqua, & remota regione dominus viua cum seruo commoretur, & egestate, & inopia prematur, salua conscientia vendere potest, vt sibi ex pretio subueniat, quamuis seruus sit matrimonij vinculo adstrictus. Si in patria dominus degat, & necessitate aliqua cogatur, nisi ex serui pretio sibi succurrat, ibique emptorem ad vicina loca non inueniat, fas est seruum vendere emptori peregrino etiam in longinqua, & remota loca. His exceptis, & aliis huius generis causis, non licet domino seruum vendere in longinquam regionem amandandum, & transmittendum: eo quod vxori eius graue damnus inferatur contra iustitiam. Quæres, An vxor serui debeat eum sequi in longinquam regionem ablegatum? Respondet Sotus loco supra citato, Si maritus seruus possit commodè vxorem eò ducere, id facere deberet, cui vxor parere iure connubij cogeretur. Si vxor item maritum sequi commodè posset, tamen eam ille non deduceret, sequi deberet; secus autem, si id commodè facere nequeat. Et hæc omnia docet Azorius tom. 2. lib. 2. cap. 38. quest. 6. cui adde Filliucium tom. 2. tractat. 28. part. 2. cap. 3. num. 74. & Trullench in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 1. an. 6. num. 4.

2. Vide etiam Sanchez lib. 7. disput. 22. per totam, & Auerſam quest. 3. sect. 7. vbi sic ait: Hinc D. Thomas in 4. d. 36. quest. 1. art. 2. ad 4. alique plures notant non licere domino vendere, ac distrahere seruum in regionem longinquam, sic separando eum ab altero coniuge, & impediendo vsum coniugij. Id tamen non admittit Scotus eadem dist. quest. 1. §. Dico ergo, & alij quidam, quædo scilicet seruus absque consensu domini nupſit. Alij verò plures variis modis distinguunt. Et quidem limitanda est conclusio D. Thomæ, quando alter coniux potest commodè sequi illum qui venditur in regionem longinquam, quia tunc per se non impeditur vsum coniugij. Et quando dominus graui necessitate premeretur, nec inueniret sufficiens pretium serui in loco suo; quia tunc preponderare videtur necessitas domini. Et multum etiam refert, si dominus contradixit vel consensit matrimonio sui serui. Aut alia circumstantia occurrat. Quod totum erit prudenti arbitrio discernendum. Ita Auerſa.

RESOL. LIX.

An seruus tentatur magis seruire Domino, quam vxori? Ex parte 7. tr. 7. Res. 38.

§.1. **R**espondeo, & dico primo, quod si seruus magis debet prestare obsequium domino, quam vxori, S. Thom. in 3. parte, questione 52. art. 2. ad 3. Glossic. 1. de coning. seru.

2. Dico secundò. Si seruus domini consensu vxore duxit, tenetur magis reddere vxori ius suum, quam domino; Ratio est, quia eo ipso quod domini consensu seruus contraxit, implicite ac tacite voluit, vt seruus vxori suæ debitum redderet. Hinc est, vt si eodem tempore dominus aliquid seruo præcipiat, & vxor debitum petat: si seruus vtrumque prestare potest ad vtrumque teneatur. At si nequeat vtrumque simul prestare, potius coniugi parere debet quam domino. In praxi tamen vix poterit id contingere; & semper vxor conscientia domini voluntatis, potest facile differre petitionem complexum in commodius tempus. Etia docet Filliuc. tom. 2. fr. 8. p. 2. c. 3. n. 62. Azorius tom. 2. lib. 2. cap. 38. quest. 5. Trullench in Decal. tom. 1. lib. 4. cap. 1. an. 5. n. 9. & Auerſa de Sacram. Matrim. quest. 21. sect. 1. At de tota hac materia vide Sanch. lib. 7. disp. 21. per totam.

RESOL. LX.

An seruus possit dare mutuum? Ex parte 7. tractatu 7. Res. 23.

§.1. **R**espondeo quod si dominus concessit seruo administrationem peculij, potest dare mutuum, & accipere, si rogatus §. si fugiuimus ff. de reb. cred. sin minus quando cumque seruus mutuum det, is qui accipit obligatur domino, non seruo: dominus enim accipit ius ex contractu serui, leg. nec seruus ff. de pecul. Denique si seruus mutuum accipiat, si quidem iussu, aut nomine domini, & sic dominus obligatur: sin minus, seruus obligatur naturaliter, hoc est si fuerit adeptus libertatem, cogitur reddere mutuum. I. quod attinet ff. de reg. iuris. In casibus verò in quibus seruus acquirit sibi dominium de aliquibus bonis, vt supra visum est, posse dare mutuum dicendum est; sed generaliter inquirendum est.

Supra in Resolutionibus quæ hic sunt 27. 28. 30. 31. 32. 33. 34. 35. & in aliis carum notationum.

RESOL.